







No 1738.



M. Fischer fecit

ORATIO ETHICA SECVNDA.

DE VIRTVTE MORALI.

IN ILLVSTRI IVLIA ACAD. QVAE EST HELMSTADII, exercitij gratia scripta & recitata

à

BARTHOLDO IVARO MVLL, Dano.

Et ad tractandum proposita

à

M. HENRICO POSSELIO, I. F. Rostochiensi.

Nazianz.

Πᾶν τὸ κατόρθωμα παρὰ τοῦ θεοῦ· δίδοται ἢ τοῖς καλουμένοις, καὶ τοῖς οὕτω νεύουσιν.

Habita mense Iulio. Anno 1599.

HELMAESTADII,
Excudebat Iacobus Lucius, Anno
M. D. XCI[illegible]

MAGNIFICO, GENEROSO ET NOBILI VIRO, DN. ARNOLDO Withfeltt/ DOMINO IN Læcchö &c. Regni Daniæ Cancellario fidelissimo, Domino & patrono suo summa obseruantia colendo.

IN aperto est, Magnifice, Generose ac nobilissime vir, patrone obseruandissime, vt impensè excellentissimi & doctissimi vndiquaque viri, in excultum sermonis genus incubuerint: ideoq; per idipsum dona DEI exuscitarint, linguæ facultatem excoluerint, & aureum talentum quasi in argentea patina proponere obnixè studuerint. Cuius rei insigne exemplum summus orator Demosthenes suppeditat: qui cum naturæ & ingenij beneficijs minus valeret, impedimenta magnâ industriâ superauit, balbutiemq́; ac hæsitantiam linguæ, quâ ne primam quidem artis suæ Rhetoricæ literam proferre posset, coniectis in os lapillis, emendauit, scandendo & pronunciando

adeò confirmauit, vt princeps Græcorum oratorum iudicio omnium prædicaretur. Accedit & illud quod de Rudolpho Agricola, Philoſopho celeberrimo, memoriæ literisq; proditum legimus, nempe eundem de iuuenum indole ex pronunciatione iudicaſſe.

Quæ cum exactiùs mecum præpondero, ſæpiùs elegans Plutarchi comparatio animo ſubit meo, dum inquit: Sicut qui longo tempore obſcuris carceribus incluſi, ac in vinculis ſeruati fuerint, ſi poſteà ſoluantur, ob diuturnam vinculorum conſuetudinem ambulare nequeunt: ſed capitis vertigine circumaguntur, nec lumen ſolis ferre poſſunt: ita intra priuatos parietes deliteſcendo conſeneſcentes, (quos Lucian. meritò οἰκοσίτους appellat) ſi poſteà cum hominibus congredi incipiant, quaſi omnia noua ſint, in ſole caligare, ab hominum colloquijs reſilire, & ad tenebras confugere conſueuerunt. Quare doctiſſimorum quorundam iuuenum & collegarum meorum exemplo ductus, rectiſſimè ſtudijs meis conſultum putaui, vt & ego dicendi facundiâ minus inſtructus, exercitatione corrigi geſtiens, in pub-

licum

licum prodirem, orationemq́; Ethicam conſcriberem, conſcriptam proponerem, propoſitam typis excudendam darem. Elegi autem VIRTVTEM MORALEM, quâ vti nihil formoſius, nihil pulchrius, laudabiliuſuè: ita nihil commendabilius quod vnquam prædicarem, obuenire poſſe arbitratus ſum.

Qua in re cum patrono me apprimè opus habere cognoſcam, Tibi vir Magnifice, Cancellarie digniſſime, huncce laborem, quamuis exilem admodum, nuncupare potiſſimum volui. Cauſſæ me impulerunt multæ, eæq́; arduæ: partim enim conſideraui, quod virtutum & doctrinæ exquiſitioris laudibus plurimos antecellas, & humaniora artium linguarumq́; ſtudia impensè promoueas: partim quod parentem meum, τοῦ νῦν ἐν ὁσίοις, dum viueret, ſummo fauore proſequutus ſis: partim etiam quod erga parentem alterum, quem & iure deoſculor, totamq́; adeò familiam noſtram ſummâ beneuolentiâ propendeas. Ideoq; ſummo animi obſequio etiam atq; etiam rogo, vt Magn. T. in optimi quondam ciuis filium, non tàm paternæ hereditatis, quàm VIRTVTIS ſectator-

beneuolentiam & propenſam animi voluntatem vlterius redundare patiatur: compellationem hanc meam ſereno vultu admittat: conatuique & ſtudijs meis ita faueat, vt Magn. Tuæ adiutus auſpicio, mihi de ijſdem affatim gratulari poſſim. Vale vir Magnifice, toti Auguſto Regno Daniæ, tuiſq́; diu multumq́; incolumis. Datæ in illuſtri IVLIA, menſe Iulio, Anno 1599.

Magnif. & Generoſ. Tuæ

addictiſs.

Bartholdus Iuarus Mull,
Danus.

itri

EPIGRAMMA AD AMICVM MEVM BARTHOLDVM IVARVM Mull, Danum.

QVis sua virtuti dignè præconia dicat?
Non satis hîc Pylij lingua diserta senis.
Nedum vt nostra suis industria viribus æquet
Hoc onus, atq; humero sufficiente ferat.
Laude tamen dignum est, si quod flagranter amamus
Commendare aliquá nitimur artis ope.
Maxima virtutis te cura fatigat IVARE:
Hæc scopus est studij metaq; sola tui:
Rectè igitur laudas quod suspicis. acriter insta
Tantum operi, æternùm vt ferueat iste calor.
Hoc iubet, hoc optat VVITFELDIVS ille, patronum
Quem vocat, Aoniâ quisquis in arte valet.

Henricus Meibomius, Poëta Cæsarius, & acad. Iuliæ professor ordinarius F.

ALI-

ALIVD EIDEM.

EVehit obscuros, summis & honoribus imos
Nobile VIRTVTIS tollit decus. ast mage auito
Nomine muniti sublimi sidera tangunt
Vertice, more patrum VIRTVTIS munere functi.
Quos inter BARTHOLDE tibi non vltima laudum
Præmia sedulitas meruit. Tua Suada politas
Doctorum potis est aurêis animosq́; morari,
Optatumq́; tibi decus arrogat incluta VIRTVS.
I bone, monstrat iter tibi quà Fors dextera honoris,
AEmulus & patriæ VIRTVTIS ad ardua tende.
Carpe viam fortis, nec te dare vela retrorsum
Inuidiæ fluctus adigant, neu linquere cœptos
Iusticiæ cursus. Sic laus tibi plurima surget,
Grande decus cum te rerum columenq́; suarum
Patria tergeminis attollet honoribus olim.

Amico & collegæ suo φιλαδέλφῳ
M. Henricus Posselius. Rost.
in Illustri IVLIA F.

ALIVD.

VIRTVS Virtuti comes est: Virtute paratur
Res quæ vel duræ nescia sola necis:
Macte ergò BARTHOLDE: tibi noua gloria surget,
Promeruit VIRTVS quam tua & integritas.

Iulius Kötzler, Brunouicens. collegæ ac
fratri suo deuinctissimo scripsit.

NE

NE cui veſtrum mirum videatur, Magnifice Dn. ViceRector, Reuerendi, Ampliſſimi, clariſſimi, conſultiſſimiq; viri, præceptores ac fautores omni obſeruantia colendi: Vt & viri iuuenes nobiliſſimi, ornatiſſimi atq; doctiſſimi, amici ac commilitones longè cariſſimi; ſi me ad veſtrum conſpectum expaueſcentem cernatis. Etenim quæ ſingula vel exercitatiſſimis metum quendam oratoribus incutere poſſent, ea nunc me vniuerſa adeò premere videntur, vt quo me vertam vix reperiam. Vt enim ingenij doctrinæque tenuitatis, ita & infantiæ meæ mihi ſum conſcius: Contrà verò aures veſtræ teretes atque relligioſæ, non niſi ad illa quæ ingenio perfecta, elaborata induſtriâ, polita arte, aſſuefactæ ſunt: offenduntur contrarijs. Adhæc argumenti tractandi dignitas me ad continuandum propoſitum anxium reddit. De VIRTVTE enim MORALI mihi dicendum, quà, vt Ciceronis elogio vtar, nihil formoſius, nihil pulchrius, nihil laudabilius. Iccircò nullius tantum ingenij flumen, tanta dicendi vis atque copia reperietur, quâ quis non dico præclarè huic materiæ ſatisfacere, ſed vtcunque conſiſtere in huiuſcemodi oratione queat. Itaq; quoduis munus aliud libentius, Auditores Clariſſimi, iuuenes nobiliſſimi, optimi & doctiſſimi, quàm hoc in me recepiſſem, niſi impoſitum ab ijs fuiſſet, quorum ego magni voluntatem facio, auctoritatem meo iudicio præfero, beneuolentiam erga me veſtram minimè ignorare debeo. Addit deindè animum, quod laudabilis inſtituti huius noſtri præcurſorem habuerim à vobis nuper humanitate ſingulari, attentione

placida exceptum, cuius non minus ſtudia quàm mea vobis deuinctiſſima velim. Præterea alacrem me & illud reddit, quòd neminem veſtrum eſſe ſciam, qni non maiorem obſequio, quàm vel doctrinæ vel eloquentiæ laudem tribuat: amore beneuolentiaque complectatur eum, qui recuſandi magis pudore, quàm obeundi quadam fiducia ad dicendum ſurrexerit. Quibus fretus, rogatos vos omnes & ſingulos volo, vt me de laudatiſſimâ & ampliſſimâ materiâ balbutientem potius quàm dicentem, beneuolè amiceque audiatis.

De Beatitudine autem Politica, ſiue de ſupremo hominis bono cum anteà dictum ſit luculenter ſatis, vt quod ad idipſum omnia noſtra conſilia & actiones in hac vita referri debeant: nunc ἀναλυτικῇ methodo flagitante, mihi etiam principia ſiue media, quibus ad illum finem ſummi Boni perducamur, accuratè inquirenda ſunt, & de actionibus ex VIRTVTE profectis diſſerendum.

Eiuſmodi autem actiones liquidò cognoſcuntur, ſi quid VIRTVS ſit, & ex quibus, & quomodo comparetur, & in quibus conquieſcat, perſpectum habuerimus. Et licet Virtutis vox apud Græcos & Latinos auctores variæ denominationis ſit, adeò vt latiſſima huius vocabuli ſignificatio depræhendatur: tamen tres eius gradus commendatiores ſunt, vtpote quibus ad rem ipſam propius accedamus. Primò enim pro eminentiſſima DEI eſſentia ſumitur, vt Luc. 1. VIRTVS altiſſimi. Deindè pro vmbra quadam virtutis, qualem & in quibuſdam brutis animaduertimus, cum apes & formicas prudentes dicamus. Prouerb. 6. Abi piger ad formicam & diſce Sapientiam. Præterea pro corporis vel animi perfectione ſumitur: Totius enim corporis Virtus robur eſt: Virtus oculi acies & acumen viſus, auris auditus: animæ Virtutes in fa-

in facultatibus animæ consistunt, & ita deinceps.

Sed ne in re minima diu multumq́ue hæreamus, gene-
raliter dicendum est, VIRTVTEM, nominis definitio-
ne considerata, nihil esse aliud, quàm cuiusq; rei perfe-
ctionem, secundum quam ipsa res optimè se habet, & mu-
nere suo rectissimè fungitur. Cui definitioni ipse etiam
Cicero adstipulatur, inquiens: VIRTVS nihil est aliud,
nisi in se perfecta & ad summum producta naturâ.

Quia autem VIRTVS animum nostrum ab vtraque
parte grauissimè laborantem, in vero cognoscendo & fal-
so fugiendo: in bono apprehendendo & malo auersando,
mirificè sanat ac perficit, rectè bimembrem eius distincti-
onem attendimus. Nam & aliam Virtutem Intellectua-
lem, aliam Ethicam vel Moralem vulgò statuunt: quarum
illa experientiâ & tempore indiget, & intellectu nostro
perficitur, hæc voluntatem desiderat. De posteriori no-
bis potior sermo erit. Moralem autem dicunt denomi-
natam ἠθικὴν, ἀπὸ τοῦ ἔθους, ab assuefactione, nonnulli ἀπὸ ἠ-
θῶν, à moribus. nempe quod assuefactione & consuetudine
mores paulatim formentur & mutentur. Vnde lepidè Py-
thagoras familiares suos hortabatur, vt optimum viuendi
genus sibi deligerent, idq́ue quotidiano vsu compararent:
quamuis enim laboriosum esset, tamen consuetudine iu-
cundum fore putauit. Vnde eiusdem sententia apophteg-
matibus annumerari meruit, his verbis: Optimam vitæ
rationem elige, eam namque iucundam efficiet consuetu-
do. Facilius enim est à principio non se vitijs dedere, &
effugere nascens vitium, quàm natum abscindere, atque
eo superiorem fieri: vt Nazianz. rectè docuit, posteà sub-
iungens: Facilius esse reticulo aquam ferre & laterem
lauare, quàm vitium in hominis animo diuturno tempo-
re plantatum eximere.

Sed videntur quamplurimi auribus meis obstrepere, voce quadam insolentiori easdem ferè obtundentes, dum cum Hesiodo proponunt: VIRTVTEM esse asperam, & accliuem ad ipsam viam patére, neque eam sine magno labore comparari posse. Cui subiungunt illud auctoris nostri, quo fatetur: Omnem artem & VIRTVTEM circa res arduas & difficiles versari: contrà verò figmentum humani cordis malum esse ab adolescentia, Gen. 8. nosque naturâ filios iræ, inque peccatis conceptos ac prognatos esse. teste D. Paulo, ad Ephes. 4. Ac proindè Voluptatem naturâ, & sic ab incunabulis nobiscum enutritam, latenter & inscientibus obrepere. Id quod Heraclyto quoque visum fuit, qui difficilius voluptati quàm iracundiæ (licet hic affectus ei quàm vehementissimè insitus fuisse scribatur) obsisti posse existimauit. Ex hisce ergò concludunt, minus eos culpandos, sed veniâ dignos, qui à semita VIRTVTIS & honestatis, naturæ peruersitate ducti, exorbitent, Virtutisque studio postposito, extrema quæque flagitiosè pertractent. Verum enimuerò eiuscemodi obtrectatores vix responso digni censendi sunt. Primò enim, licet omnia quæ pulchra sunt, difficultate non careant, Solone teste: VIRTVS autem bona & pulchra sit difficilior, & circa difficiliora occupata: nec tamen inde concludendum, eam vti difficilem relinquendam. Virtutis enim habitus in mediocritate consistit, quæ licet similiter rarius (vt infrà dicetur) attingi queat: tamen omni conatu in id incumbendum, vt extremis relictis, medij istius probè compotes fiamus. Deindè sciant, nos hîc non Theologica sed Philosophica tractanda suscepisse, cùm de illa corruptione Philosophi nihil sciuerint, ideoque dixerint, hominem neque bonum neque malum nasci, sed ἀδέτερον, hoc

est

est, neutro modo se habentem. Præterea dictum sibi putent, VIRTVTVM actiones considerandas esse vel solas, vel per se, vel ratione finis. Solæ cum considerantur, coniunctæ sunt labori, dolori & molestiæ. Si verò ratione finis attenduntur, tùm demum vera earum apparet & elucescit iucunditas, ipsa nimirum Beatitudo, quæ per eas comparatur, vt lib. 1. Ethic. Aristoteles noster luculenter disseruit. Postremò, quamuis nemo ignoret pueriles animos molles existere & ætate fluxos, dolisque haud difficulter capi posse: tamen cum consuetudo etiam res terribiles accessu faciles reddat, laborque continuus (vt Democriti verbis vtar) consuetudine fiat leuior, adeò vt omnia, quæ honesta & bona sunt, exercitatione & vsu comparari queant: dubium nullum relinquitur, quin pueriles animi ad voluptatum illecebras præcipiti conatu declinantes, hac ipsa crebra exercitatione ad meliorem frugem, & tandem ad perfectam Virtutis culturam paulatim perueniant.

Cuius rei præclarum nobis exemplum in Regio adolescente HERCVLE præbetur, quod silentio minimè prætereundum arbitror. Is enim (vti refert Prodicus ille sapiens apud Xenophontem, lib. 2. de dict. & fact. Socratis) in desertum quoddam secessit, & quidem ea ætate, quam ad libidinem procliuiorem esse iam relatum est, iuuenili nempe: cuius animum duæ fœminæ, vna VIRTVS appellata, altera VOLVPTAS, experiri attentarunt. At Voluptas quidem elata, veste splendida, molli ac preciosa, facie infucata & libidinosa, totaque delicata, nihil non laborauit, vt iuuenem suis irretiret laqueis, captumq; teneret. Verùm hanc eminus conspicata VIRTVS, fœmina humilis, nullo vestitus ornatu exculta, facie veruntamen magnam animi bonitatem repræsentante accedens:

cedens: Voce ſua graui & ſalutari, cùm Voluptatem, tùm iuuenem ab illecebris & ſeductione abſterruit atque repreſſit: ita vt illa (Voluptatem dico) turpi cum pudore ſtomachabunda receſſerit: Hercules verò in huius (VIRTVTEM dico) amorem totus pertractus, vnicè ſe ei, quamuis primò difficulter admodum, vt qui dulciori malo propè ineſcatus videbatur, deuouit, vitamque & actiones omnes ad eius nutum, Ariadnes quaſi filium indefeſſo conatu ſecutus, direxit.

Hanc Iuuenes nobiliſſimi, doctiſſimi, lectiſſimique, (Vobiſcum enim mihi hac de re ſermo eſt potiſſimum) ſiue hiſtoriam ſiue fabulam, tàm lepidam quàm vtilem, nobis vt poſteritati conſecrari & conſeruari relligioſa voluit antiquitas: partim quod perditiſſimum temporis huius ſtatum, mores corruptiſſimos, vitam plurimorum ſceleratiſſimam, vitia exulceratiſſima, limis intueri, deteſtari ac deplorare fas ſit: partim etiam quod exemplo HERCVLIS perducti, vitia, ſi quæ vel per prauorum conſortium attraxerimus, vel cum lacte materno imbiberimus, contrà nitendo fortiter & animosè reijciamus, corrigamus, auerſemur.

Quotus enim quiſque noſtrum eſt, qui non intelligat, nec ratione dijudicet, HERCVLEM illum heroa Græciæ laudatiſſimum, hoc certamen VIRTVTE ipſa COMITE ſtrenuè ſubijſſe, perfeciſſeque, adeò vt paucorum annorum ſpatio, Heroicâ animoſitate res maximas in Græcia, Italia & Hiſpania geſſerit, pacem terrâ marique fecerit: in tantùm vt labores HERCVLIS ingentes & duri, quos intrepidè pertulit & ſuperauit, duodecim Poëtarum ſcriptis compræhendi vix ac ne vix quidem potuerint, locumque prouerbio fecerint.

Primò enim (vt rem perſtringam breuiſſimè) ab Oſiride

ride Aegypti rege, vel DEO potius, in bellum profectu-
ro, vt genere proximus, ita fortitudine roboreque corpo-
ris admirabili præditus, Dux belli exercitus constitutus
est. Et paulò post consilij magnitudine & VIRTVTE,
Oceani horrendos aquarum impetus compressit: vnde
Græci quidam Poëtæ rem gestam in fabulam commutan-
tes, HERCVLEM tradunt Aquilam Promethei iecur
depascentem occidisse, indeque Aquila denominatus est.
Deindè Antæum luctatorem illum & athletam maximi
corporis ac roboris, alioquin insuperabilem, in Libya vi-
cit atque occidit. Adhæc cum VIRTVTE sua maxi-
mam orbis terrarum partem perambulasset, in Libya quo-
que columnam, perpetuum rerum à se gestarum indicem
& quidem eximium, nautisque nostris Orientalibus hodi-
erno adhuc die cognitum, promeritus est. Prætereà cœ-
litibus in bello contrà ferocissimos violentissimosque Gi-
gantes auxilio fuisse, monstraque orbis factiosa perdo-
muisse, in Poëtarum libris scribitur: inter quæ & Hy-
dram serpentem multorum capitum, ad Lernam paludem
tandem deuicisse atque interemisse fertur. Vnde claua &
Leonis pellis eidem conueniunt; ea enim tempestate, ar-
mis necdum sagaci hominum ingenio inuentis, fustibus
iniuriam illatam propulsabant, ferarum pellibus corpora
armorum loco tegentes.

Sed quid attinet ea omnia, vel pleraque saltem hîc
recensêre, nam & dies & verba me commemorantem de-
ficerent, & quamplurima historiarum monumenta HER-
CVLEOS labores abundè prædicant. Illud ergò verbo
dictum vobis velim: Eum (Herculem dico) nequaquam
tanta tamque admirabilia, peneque diuina exantlare po-
tuisse pericula, nisi spreta & repudiata Voluptate, eius-
que subdolis illecebris, VIRTVTI (vti relatum
iam

iam antè fuit) ſe totum dedidiſſet, addicaſſet, mancipaſſet.

Conſimile fermè exemplum THEMISTOCLES, Nioclis filius, Athenienſis nobis præbet. Quamuis enim huius vitia multa, vt prodigalitas, laſciuia & alia, in adoleſcentia extabant: ea tamen magnis poſteà emendauit compenſauitque virtutibus: ac res præclaras geſſit, adeò vt coætaneorum anteferatur ei nemo, pauci pares putentur, victoriæque per eum partæ ipſi Marathonio trophæo comparari poſſint. Nec virtuti eius comes Gloria defuit. Magnus enim ob id bello habitus eſt, neque minor in pace, adeò vt propter multas Virtutes magnâ cum dignitate viueret. donec falsò à ſuis ciuibus proditionis tandem damnatus, exul in Aſiam ad ARTAXERXEM Perſarum Regem conceſſerit, à quo maximis muneribus ob VIRTVTIS admirabilis ſplendorem ornatus, Magneſiæ ſibi domicilium conſtituit: hanc namque Theſſaliæ vrbem, imò regionem, Rex ei cum duabus alijs dono dederat: Magneſiam quidem, his verbis vtens; quæ panem præberet. (exinde enim ei quinquaginta talenta quotannis redibant) Lampſacum, vnde vinum ſumeret: & Myuntem, ex qua obſonium perciperet.

Quis quæſo crederet, hunc ipſum Heroa, niſi Iuuenilis ætatis eſcam Voluptatem ſuppreſſiſſet, virum tàm præſtantem euadere, & apud Reges exteros exulem tàm Regijs ſplendidisque donis excipi potuiſſe. Videtis ergò iuuenes longè optimi, doctiſſimi, firmiora eſſe præſidia Fortitudinem & VIRTVTEM, quàm opes & multitudinem. Vireſcit enim vulnere VIRTVS, & ſola ſepulchri expers eſt. Id quod eleganter de Achille Ouid. cecinit:

Iam cinis eſt, & de magno iam reſtat Achille

Neſcio

Nescio quid: paruam quod non benè compleat vrnam:
At viuit totum quæ Gloria compleat orbem.

Quid vlterius de ARISTIDE Lysimachi filio, Themistoclis in Reip. Athen. administratione socio iustissimo, proferam? Qui adeò VIRTVTE excelluit, vt vnus post hominum memoriam cognomentum δικαίου, id est, iusti adeptus sit.

PAVSANIAM lubens prætereo: licet enim magnus dux fuerit, varius tamen in omni vitæ genere extitit. Vt enim virtutibus eluxit, sic vitijs, insolentiâ, superbiâ, crudelitate &c. dedecorari atque obrui se nonnunquam passus est. Contrà TRASYBVLI Atheniensis laus tanta est, vt si per se VIRTVS sine fortuna ponderanda sit, dubitem an hunc primum ponam. Nam illi fide, Iusticia, constantia, magnitudine animi, in patriam amore quem præferam, scio atque noui neminem. Quod enim multi voluerunt, pauci potuerunt, plurimi optauerunt: vt ab vno tyranno patriam liberarent, id huic ita contigit, vt à triginta oppressam Tyrannis rempubl. Atticam è seruitute in libertatem vindicaret, atque ἀμνηστίαν, hoc est, obliuionem discordiarum iniuriarumque institueret. & quanquam multi eum nobilitate antecederent, nemo tamen his Virtutibus, nobilitate anteferendis, eum anteiuit.

EVMENES Cardianus, vnus ex intimis Philippi, & Alexandri familiaribus, si VIRTVTI parem fortunam habuisset, non tantùm cæteris maior, sed penè etiam illustrior multò atque honoratior diceretur: constat enim illum curâ, vigilantiâ, calliditate ingenij, & conficiendi celeritate, Macedonas omnes longè superasse.

TIMOLEON quoq; Corinthius magnus vir omnium iudicio atque testimonio per solam VIRTVTEM euasit. Nam huic vni contigit, vt patriam à Tyrannis op-

pressam liberaret, & à Syracusis, quibus auxilio erat missus, inueteratam seruitutem depelleret, totamq; Siciliam multis annis bello vexatam, à barbarisque oppressam, suo aduentu in pristinum statum restitueret.

Quis CODRVM Atheniensem nescit, qui tanta virtutum laude insignitus, tantoque amore prosequutus patriam fuit, vt pro ea se vnum morti obtulerit? Cum enim vtrius aciei Dux occubuisset, hanc victoriã potituram oraculo moneretur, indutus habitu seruili Rex, in hostium castra irruit, obuium quemque, vt interficeretur, interfecit, patriamque nullius nisi suo ipsius sanguine liberauit.

Plurima, imò infinita exempla VIRTVTVM, quæ in Græciæ & Peloponnesiacis Ducibus instar deauratorum cataphractorum coruscantibus emicuêre, proferri possent, nisi ea quæ præ foribus, vti dicitur, & in propatulo extant, vt recentiora, Ita iucundiora memoriæ prodita fuisse liquidò constaret. Dum enim Romanam Monarchiam exactiùs præpondero atque intueor, immensa farrago illustrium exemplorum vltrò citroque se nobis offert: in tantum vt nemo lubens non fateatur, Romanos Monarchas, Reges, heroas atq; Duces non similia, sed & maiora VIRTVTVM decora concomitata fuisse.

Quid enim de M. Valerio Coruino, C. Martio Rutilio, C. Sulpitio, T. Manlio Torquato, Q. Publio Philone, L. Papyrio Cursore, de Q. Fabio Rulliano, primo ex ea familia ob virtutes maximo, de Q. Fabio Maximo, ob singularem in quoslibet clementiam, & miram continentiam, Ouicula cognominato, verba faciam? Quid de Fabritijs, de Memmijs, Decijs, Iunijs, Valerijs, Quintijs, Cornelijs, & vtroq; Catone, non exponi longo sermone posset, si breuitas instituta pateretur? quorum VIRTVS, exactis iam Regibus, adeò emicuit, vt necdum literis satis prodita dicatur. Ideoq; ad

Liuia-

Liuianæ historiæ lectionem, in qua latissimus illustrium exemplorum campus sese nobis aperit, vos Auditores clarissimos, doctissimos & humanissimos remitto. Nec tamen hîc taceam Publ. Corn. Scipionem, à tota Africa deuicta, Africani nomen adeptum. Nec L. Scipionem Asiaticum, nec Q. Metellum Pium, nec M. Liuium Drusum, genere, virtute & eloquentia magnos! Minus etiam Cn. Pompeium, ob animi virtutem maximum! Iulium Cæsarē, veneratione rerum gestarum Diuum cognominatum. Imò sexcentos alios quibus prosequar laudibus? Lubens sanè prædicationis vberioris labore supersedeo, cum eloquentiæ parens M. T. Cicero (cuius virtutes vt à nemine satis superque collaudari possunt, sic à me minus dignè decantari poterunt) horum illustrium virorum omnium res gestas literis adeò amplificarit, vt facundiæ & dicendi palmam hac in parte omnibus iam olim præripuerit.

Quin & hoc laude non caret, quod virtutis studium priscis adeò cordi fuerit, vt non addubitarint, Pontificum ductu per Marcellum, HONORIS ac VIRTVTIS simulachra Romæ, separatis ædibus relligiosè statuere.

Sed vt ad rem ipsam me rursus conuertam, & temporis suadet conditio, & auditorum excitat beneuolentia, & rei propositæ conuenientiùs fore putatur. In memoria autem habetis, dictum à me fuisse antè, VIRTVTEM ἐν τῇ μεσότητι, hoc est, in mediocritate consistere: dubitatio hinc quædam introduci videtur, quod Pythagorei eam ἐν ἀκρότητι, in extremitate collocant: atq; ita incertitudo quædam exindè promanare videtur, quæ rem modo & ratione incertâ definitam, facilè subuertat. Vbi verò sciendum, hæc inter se pugnam non constituere. Virtus enim duobus modis considerabitur: vel κατὰ τὴν οὐσίαν, secundum suam naturam & essentiam, tuncq; mediocritatis nomen sorti-

tur: vel κατὰ τὴν ποιότητα, secundum qualitatem suam, hoc est, bonitatem & perfectionem, eoq́; casu rectè ἀκρότης dicitur, siue extremitas, vtpote quæ in rebus humanis supremum locum in ordine bonorum obtinet, iuxta dictum: τῆς ἀρετῆς οὐδὲν ἐστὶ τιμιώτερον: Virtute nihil est præstantius: cui illud Plutarchi in Aristide conuenit: Σεμνότατον ἀρετὴ καὶ θειότατον.

Sed hîc in considerationem & illud venit, Virtutem respectu duorum extremorum MEDIOCRITATEM dici, eaq́; vitiosa esse, adeò vt non solum Virtuti, sed etiam sibi ipsi mutuo opponantur. Quorum alterum dicitur habere τὸ μᾶλλον, magis, nominaturq́; ὑπερβολὴ, excessus. Alterum dicitur habere τὸ ἧττον, minus, & vocatur ἔλλειψις, defectus. Eius verò mediocritatis vtrum omnes affectus & actiones capaces sint, dubio non caret: quod tamen disputationum non declamationum exercitio reseruandum est.

Ne porrò hæc mea in immensum excrescat oratio, omisso longiori generalis VIRTVTIS encomio, ad vberiorem eius explicationem instituendam, species virtutum, & quidem paucissimis enodabo; partitionemq́; Senecæ & Ciceronis sequens, VIRTVTEM in quatuor primarias species deducam, vulgò Cardinales vocatas. Laudatissima earum est Fortitudo, vt ciuitatum columna. Temperantia, vt habena morum. Prudentia, vt rationis regula. Iusticia, vt æquitatis trutina.

De quibus omnibus & singulis cum ordine reliqui Domini collegæ, neruosè & eleganter verba facturi sint, eas vt ego hîc verbosius exponam, nec temporis fert angustia, nec mei instituti ratio, nisi falcem fortè alienæ messi immittere vellem videri.

Adeste ergò, viri Iuuenes, splendore generis, doctrinâ & morum comitate ornatissimi: adeste, inquam, attentis

animis

animis atq; auribus, VIRTVTISq; culturam frequentissimè vobis commendatam habete, vtpote quà homini à Dijs immortalibus nihil datum est melius: quæ sibimetipsi pulcherrima merces, & amplissimum est præmium: quæ omnia perdomat: quæ virescit vulnere: quæ nec eripi nec surripi, neq; naufragio neq; incendio amitti vnquam potest: Cui Fortuna cedit, eiusque non est indiga: cui parent omnia: cuius præmium HONOR immortalis existit

Amplectimini quæso obuijs & delibatis osculis DEAM hanc nostram VIRTVTEM, æternam & præclaram vbique habitam: in medio rationis, quam dirigit, in medio affectionis, quam supprimit, inq; medio vitiositatis, quam tollit & extinguit, consistentem.

Et licet hæc ætas nostra fragilior semper inclinet se à tanto VIRTVTIS culmine: tamen considerate quæso, cogitateq; nihil esse, quod assuefactione diutina non mollescat: immò multos extitisse quidem, qui cum non modò primoribus labris gustassent genus vitæ voluptariæ, sed totam adolescentiam voluptatibus dededissent, emersisse tamen aliquando, & se ad frugem bonam recepisse, grauesq; homines & illustres extitisse. Vbi enim adolescentiæ cupiditates in plurimis deferbuêre, eximiæ VIRTVTES firmata iam ætate extiterunt. Quod si tàm laudabilia & maximè splendida VIRTVTVM exempla memoriæ & perpetuitati dicata, summo cum applausu & iucunditate in Ethnicis, veri DEI, diuinorumq; cultuum ignaris, legimus, cognoscimus, approbamus: quid nobis faciundum esse censebitis? in primis qui Christianorum nomen profiteri malumus, & in luce verbi diuini clarissima versamur, nonne in id vnum incumbemus, vt Ethnicorum præcepta non solum imitari studeamus, sed etiam quantum per naturæ fragilitatem conceditur, eadem vitæ integritate, hone-

ſtatis laude, & decorâ externarum etiam actionum eminentiâ ſuperare conemur, VIRTVTEMq́; ne ſemel quidem ex animo elabi patiemur; quæ proprio hoc fungitur munere, vt eum cui ineſt, per rationis normam, affectionis habenam, & VIRTVTIS officium ad illud εὖ ζῆν ϗ εὐπράττειν perducat. Secus ſi fecerimus, nihil ſanè vel turpius, vel ignobilius, deteſtabiliusuè committemus: dum præconum inſtar, ſimulata vanaq́; voce tantùm DEAM hanc prædicando alijs commendauerimus, ipſimet verò vitæ noſtræ normam diſparem, & actiones VIRTVTI contrarias ediderimus. Ita meritò illud Diui Auguſtini dictum, quod in miniſtros verbi diuini infideliores contorquet, nobis quoque adiudicabitur: quòd nimirum quicquid altera manu demus, hoc eſt, præcipiamus: idipſum altera rurſum auferamus, atque pedibus quaſi conculcemus.

Verùm cum in iuuencis, cum in equis patrum VIRTVS conſiſtat, nec imbellem feroces progenerent Aquilæ columbam: firma & indubitata ſpe fretus, certo ſtatuo, vos omnes & ſingulos Dominos commilitones, nobilitate generis, doctrinæ præſtantiâ & morum ſuauitate probè inſignitos, vosq́; Dominos collegas mei longè amantiſſimos, auitis paternisq́; laudibus & virtutum officijs relligiosè & gnauiter inhæſuros, adeò vt VIRTVS etiam veſtra multorum aliquando nominibus innoteſcat, multaq́; indies VIRTVTVM ſemina in vobis ſuccreſcant atq; ſuppullulent. Ne quæſo vnquam patiamini conſutos Zoilorum dolos, & obtrectatorum fallaces morſus (qui bonos ſæpius fatigant, nec tamen ſupprimunt) vos à propoſito honeſto remorari, quò vitiorum ſegetes vos circundent: ſed manibus pedibusq́; laboretis, vt mordaces eorum ſtimulos Gloriâ potius & VIRTVTE conuincatis, ſuperetis, conculcetis: laudabilisq́; & nunquam intermorituræ poſteritatis, ſi quæ ſecutura

tura

tura est, nomen semper & vbiq; vobis obrepere sinatis: vt tàm ipsi ex hisce præclarè factis, quàm egomet ex hac amica mea & Virtuti consona oratione, vberrimum integritatis, honestatis & perfectæ Gloriæ fructum mecum hauriatis, percipiatis, degustetis.

Postremò, cum in omnibus, quod tempora petunt, aut personis condignum est, considerari debeat: Tibi ò æterne DEVS, pater Domini nostri IESV CHRISTI, gratias maximas & agimus & habemus, quod hoc ipso messis tempore iucundissimo, (in quod hæc mea VIRTVTIS decantatio fortè incidit) agros nostros bonitate tua paternè coronaueris: quod Serenissimum ac Potentissimum Dominum nostrum, Dn. CHRISTIANVM IV. Daniæ, Nortuuagiæ &c. Regem Clementissimũ largitus sis, sub cuius clementi protectione & Dominatu me constitutum volueris: quodq; Reuerend. Illustriss. & Clementiss. Principem, Dn. HENRICVM IVLIVM, Ducem Brunsuuicens. & Luneburg. &c. nobis concesseris benignissimum: cuius sub defensione Ecclesiam inter nos, ac Illustrem Scholam colligis, & cùm doctrinæ cœlestis, tùm aliarum honestarum artium studia in eâdem propagas. Tanta tamque præstantia bona, cum retinere nostrarum non sit virium, oramus ò sempiterne DEVS, vt in posterum quoq; agros & vineta nostra oculis bonitatis tuæ lustres, & vestigia tua pinguedinem stillantia, fundis nostris imprimas. Reip. prætereà nostræ Magistratum conserues: seditiones populorum reprimas: bellicos tumultus auertas: morbum dysentericum periculosum & fatalem, sparsum & grassantem in hisce Germanicis potissimum oris, clemementer lenias: Doctores & præceptores nostros Spiritu tuo sancto gubernes, tuearis, defendas, vt quod seminarium tuum, quæ schola nostra est, sicut ad hunc vsq; diem sub benignitatis tuæ corona &

na & creuit & floruit, ita nostra quadam culpa ne fortè decrescat aut defloreścat: sed sit perpetuò hortus amœnissimus, in quo omnis generis arbores rectæ non tortuosæ, excelsæ non incuruæ, fœcundæ non steriles plantentur, adolescant, marurescant, & fructus tandem omnium bonorum expectatione dignos afferant.

Insuper & illud ardentibus votis gemitibusque precamur, vt quam nos, ô benignissime Pater, bonitatem tuam in terris nunc viui celebramus: Eius post mortem conspectu in cœlis per omnem æternitatem læti perfruamur, vt coronati coronâ Iusticiæ, quam promisisti diligentibus te, verè tandem cum Propheta dicere possimus:
Beatus quem elegisti & assumpsisti, Is habitabit in atrijs tuis, bonis domus tuæ replebitur.

DIXI.

1738.